



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. VII. Solatium nullum reperiens, doloris impatientia mutat locum, & redit Carthaginem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

## C A P. VII.

*Solatum nullum reperiens , doloris impatientia mutat locum, & redit Carthaginem.*

I. **O** Dementiam nescientem diligere homines humaniter! O stultum hominem immoderate humana patientem, quod ego tunc eram! Itaque æstuabam, suspirabam, flebam, turbabar: nec requies erat, nec consilium. Portabam enim conscissam, & cruentam animam meam, impatientem portari à me: & ubi eam ponerem, non inveniēbam. Non in amœnis nemoribus, non in ludis atque cantibus, nec in suaveolentibus locis, nec in conviviis apparatus, neque in voluptate cubilis & lecti, non denique in libris atque carminibus acquiescebat. Horrebant omnia, & ipsa lux, & quicquid non erat, quod ille erat, improbum & odiosum erat, præter gemitum & lachrymas; nam in eis solis aliquantula requies.

2. Vbi autem inde auferebatur anima mea, onerabat me grandis sarcina miseræ, quæ à te Domine levanda erat, & curanda. Sciebam, sed nec volebam, nec valebam, eo magis, quia non mihi eras aliquid solidum & firmum, cum de te cogitabam. Non enim tu eras, sed vanum phantasma & error meus, erat Deus meus. Si conabar eam ibi ponere, ut requiesceret, per inane labeatur, & iterum ruebat super me: & ego mihi remanseram infelix locus, ubi  
nec

nec esse possem, nec inde recedere. Quo enim cor meum fugeret à corde meo? quo à me ipso fugerem? quo me non sequeretur? Et tamen fugi de patria; minus enim eum quærebant oculi mei, ubi videre non solebant; atque à Tagastensi oppido veni Carthaginem.

## V S V S.

1. Ab inordinato amore, vel maxime deterrere deberet ingens cruciatus, qui non solum in amissione, verum & retentione carnalis amicitiae animum obruit, quem luculenter S. D. hic describit, adeo ut merito dixerit Taulerus, *si inordinati amoris affectui non pure propter Deum, nec aterna salutis nostrae gratia renuntiare volumus, saltem ob multam cordis pacem, quam etiam in hac vita inde consequimur: & ut complures internas, graves, & parum meritorias pressuras, & anxietates possimus evadere, libenter ea (quæ carnaliter diligimus) abdicare deberemus, quanquam hæc nobis potior esse intentio non debeat.* Verum hujus mali, quod latius patet quam crediqueat, causas, proprietates, remedia peculiari tractatu explicavimus. Serm. de S. Magdalena.
2. Ex ingenti dolore, quem S. D. ex amissione hujus amici accepit, licet conjecturam facere, de intolerabili dolore, quo æternum cruciabuntur damnati, ob amissionem summi boni. Quam pœnam nec lacrymis lenire poterunt, quia *fletus & stridor dentium erit inter pœnas, nec mutatione loci, quia in inferno nulla est redemptio.* Mat. 8. 12;
3. Gratias agamus Deo, qui nos voluit venire ad agnitionem nominis sui & veræ fidei, ipse enim est *Pater misericordiarum & Deus totius consolationis,* 2. Cor. 1; qui *consolatur nos in omni tribulatione nostra, modo solatium ab ipso & in ipso quæramus.* Talem Deum Augustinus in morte hujus amici sui non habuit, cui Deus *Phantasma* fuit, corpus nimirum lucidum & infinitum; hinc nec in illo, nec in se ipso solatium invenit.

CAP.